



*Joannes Jacobus*


Quilinus Ia. Antiquar.

Arx erat hic quondam domus est ubi & hospita uirgo

Qua : data pauperibus munera cuncta uides.

Terrena exurgunt coelestibus insita causis ;

Regna cadunt celeri luxuriante die.



Hospitalarii huius operis summa cō tinet capita quæ sequuntur	
Antonii Gilini epistolam ad Gabrie lem Talentum apostolicum pro thonotarium	ca. i.
Operis præfationem ad præfectos hospitalis magni	ca. ii.
De origine hospitalis magni	ca. iii.
De nominibus nouæ hospitaliū quæ ab initio facta fuerunt	ca. iiii.
Quo mō horū hospitalium opes cre uerint & postea in contrarios usus uersæ fuerint	ca. v.
Vnde reformatio initium coeperit	ca. vi.
Qui auctor reformationis fu erit: & ubi eam tractauit	ca. vii.
De situ hospitali magno designato atq; eius titulo	ca. viii.
De magni hospitalis forma	ca. yiiii.
De administratione eius	ca. x.
Quo modo præfecti deligantur	ca. xi.
Quare principalis potestatis locum tenens additus sit	ca. xii.
De præfectorum officio	ca. xiii.
De orreorum præfecto	ca. xiiii.
De pistore	ca. xv.
De panario præfecto	ca. xvi.
De rei uinariæ præfecto	ca. xvii.

De promo siue penariæ cellæ pfecto	ca. xviii.
De ministro q cruda a pmo accepta decoqui curat	ca. xviiii.
De coquis	ca. xx.
De ministris ad pānorū purgationē	ca. xxi.
De medicis & medēdi cura atq; ope	ca. xxii.
De medicinalium rerum cella atq; eius præfecto	ca. xxiii.
De expositis infantibus	ca. xxiiii.
De hospitalis qstore ac rōariis scribis	ca. xxv.
De architecto & qui sub eo hospitalis opus curant	ca. xxvi.
De architriclino siue magistro totius domus hospitalariæ	ca. xxvii.
De iis q in ægorū ministerio sunt	ca. xxviii.
De diligentia circa ægorū alimēta	ca. xxviii.
De sacerdotali misterio circa ægros	ca. xxx.
Quando in hospitali debēt pfecti cō uenire: & de eorū cōsiliū forma	ca. xxxi.
De scribis siue notariis hospitalis	ca. xxxi.
De norma qua hospitalia annexa reguntur	ca. xxxiii.
Ratio distribuendorū inopū p ho spitalia pro æg ritudinū genere	ca. xxxiiii.
De qualitate ministrorū p quos no u em hospitalia curantur	ca. xxxv.
De recipiendorū ægorū forma	ca. xxxvi.
Qua ratione curentur hospitalia an	



nexa extra urbem in agro Me/ diolanū posita	ca. xxxvii.
De redditibus atq; impēsa hospi/ talis magni & annexorum	ca. xxxviii.
De alius piis locis ad leuāda inopiā mala in urbe Mediolano	ca. xxxviiii.
De misericordia	ca. xxxix.
De quatuor mariis	ca. xxxxi.
De charitate	ca. xxxxii.
De pietate	ca. xxxxiii.
De diuinitate	ca. xxxxiiii.
De hospitali sancti iacobi	ca. xxxxy.
De hospitali sanctorum petri & pauli	ca. xxxxyi.
De conceptione	ca. xxxxyii.
De pignotella	ca. xxxxyiii.
De humilitate	ca. xxxxyiiii.
De dominica corona	ca. xxxxx.
De societate sancti iosephi	ca. xxxxxi.
De sancta caterina	ca. xxxxxii.
De abatia sancti ambrosii:	ca. xxxxxiii.
De nexorum subsidio	ca. xxxxxiiii.
De liberalium disciplinarum pro/ fessoribus	ca. xxxxxv.
De sanitate ubi pestilētes excipiūt	ca. xxxxxvi.
De pietatis monte	ca. xxxxxvii.
Nec correctio p̄treat: si quid inter dū euerū in ordinibus cōrigit	ca. xxxxxviii.

ANTONIVS GILINVS REVEREN/  
do Gabrieli Talento apostolico prothonotario  
Salutem. Ca. primum.

**M**iraberis fortasse quod nullo familiari  
tatis iure tibi coniunctus: hæc ad te scri  
bam. Ego autem satis me magnas ita  
agendi causas habuisse existimo: non immemor  
quanto opere parens tuus admirandæ uirtutis  
uir fratrem meum Ioannem Iacobum diligeret:  
& quam amanter tu atq; Ambrosius frater uiri  
ambo singulares pro bonitate uestra paternum  
in fratrem meum amorem seruetis. Hoc igitur  
me impulit: ut cum nuper ad ipsum fratrem me  
um uenissem: & inter eius collectanea uidissem  
te atq; Luca Landriano & ipso apostolico pro  
thonotario uiro integerimo auctoribus hospi  
talis magni Mediolanensis originem: atq; admi  
nistrationis formam conscripsisse: rogare eum  
ceperim ut edere opus uellet non modo quia de  
ea re nihil usq; ad hanc diem scriptum ab alijs  
esset: uerum etiam quia cognita diligens erga in  
opes ægros cura: atq; officium his in locis: de qui  
bus ab eo scriptum est: multos excitatura esset:  
ut pro uirili sua eorum alēdorum rationem au  
gerent: cum eo neq; monēdo neq; rogando ali  
quid profeci: quod neq; opus consecuisse se dice



bat dignum ut inter probatorum hominū ma-  
nus uersaretur: & immaturi incoctiq; operis: ut  
hoc esset. uix triduo: confectum: editionem solere  
secum plerunq; penitentiae causas ferre. Itaq; cū  
in hac eum sententia perstare uiderem: immi-  
nereq; periculum animaduertarem: ne confectū  
iam opus euitandae editionis gratia perderetur:  
feci rem quidem non satis probam: sed quam ex-  
cusare in pauperes ob ea quae dixi pietas possit.  
Crudum enim adhuc ut ipse mihi dicebat uolu-  
men subtraxi: atq; ad te potissimum mittendum  
dixi: ut quod te hortatore cum nihil esset formā  
habere coepit: per te etiam uiuat: & si fieri potest  
inopiae mediolanensium agrorum adiumenta  
augeat. Vale.

IOANNES IACOBVS GILINVS RE-  
ueren. atq; Magnificis uiris praefectis hospitalis  
mediolanensis urbis Salutem. Ca. ii.

**R**etiistis a me ut hospitalis magni me-  
diolanensis originem normamq; eius  
administrationi ueluti lege quadam  
inuiolabili praefixam perquirere: ac litteris man-  
dare uelim: loci enim ipsius honos agi uideatur:  
ut multis principibus aliisq; honestis uiris qui per  
saepe harum ipsarum rerum declarationem re-  
quirunt satisfieri possit. Ego autem cum facile ani-  
maduertarem impares huic oneri uires meas  
esse: aliosq; in praefectorum collegio annumerari  
quibus eruditionis magnitudo ac simul hospita-  
lis tractata ante magna fide negotia: longe faci-  
liorem quam mihi hanc prouinciam facerent:  
cōtinui meine obsequii facilitas uideretur: & mihi  
maiora quam ualeam audendo temeritatis no-  
tam: & uobis in ea re: quam summo opere uide-  
mini cupere: pauciora prestando: ingrati  
operam parare. Ceterum cum postea perspex-  
erim minime hac re me uobis excusatū haberi: q̄q;  
imbecilitatis meae cōscius recusare onus ultra no-  
lui fretus cū ad hanc rem nō accesserim aliqua ri-



te obeundi muneris opinione confusus. Sed ob id  
duntaxat ne uoluntati uestræ obstarẽ : si qua  
in re cessatum a me fuerit: id in eo excusationem  
habiturum: quod collegarum meorum animo:  
atq; postulatis quantum uires meæ tulerunt de/  
esse noluerim. Originẽ igitur ac primordia hu/  
ius magni hospitalis quanta potui diligentia per/  
quisita: ac simul administrationis normam scri/  
psit: qua nõ ipsum solum: sed ceteræ quoq; ei an/  
nexæ hospitalis domus reguntur: Addiditq; red/  
dituum annuam summam: atq; illam quam in  
opum atq; ægrorum impensa quotannis com/  
prehendit. Nam cum incredibilis pene nume/  
rus uideatur eorum quos magni atq; annexo/  
rum hospitalium sustentatio alit: neq; tantæ im/  
pensæ ipforum redditus sufficiant: diuinæ boni/  
tatis magnitudo agnoscat: cui uni referre acce/  
ptum oportet: ut tã graue onus sustineatur. Nec  
me latet in hac descriptione multo plura fore il/  
la quæ propter rei magnitudinem atq; uarieta/  
tem preterita erunt: quam quæ describentur. Ve/  
rum postea q̄ sine animorum uestrorum offen/  
sione hoc recusare onus nequeo: peto a uobis ut  
in laudis locũ quæ deberetur: si is essem cuius ui/  
res tanto oneri sufficerent: Nunc ad excusationẽ  
id mihi sit: quod malui hac in re obsequii uestri  
q̄ uirium mearum rationem habere. Quam

ob rem si quis sibi hoc onus desumpsit: ut sine di/  
scrimine in omnes scriptores censuram exerceat:  
mecum ob eam rem quam dixi mitius agendũ  
ducat: meminertq; in ea re quæ facta sit non ipsi  
us iudicio qui illam egerit: sed ut uis obsequeretur:  
quibus contradicere fas nõ erat: minime æquam  
esse criminationem: Si quidem his quoq; qui bo/  
num opus agere ut pareant coguntur: laus non  
debetur: quia eius est qui imperando efficit ut  
opus illud peragatur.

#### De origine hospitalis magni.

Ca. iiii.

**I**nficias ire non potest Mediolanensis  
Civitas quin immensa debeat immor/  
tali deo propter ea quæ a conditæ urbis  
initio usq; in hæc tempora accepit. Nam quãq; cõ/  
tigerit ut interdum aduersa ferret: & dei manus  
in eam ultra q̄ civitas cuperet extenderetur: hæc  
tamen flagella in malorum numerum accipi ne/  
queunt: quia illata putari debent: ut per ea popu/  
lus: qui a recta semita declinauerat in ueram orbi/  
tam reuocaretur: qui cum castigatus officium su/  
um cum deo agnouit: semper pristinæ felicitati re/  
stitutus est: atq; orbi terrarum exemplum extitit  
in manu dei: quemadmodum in principio fuit de/  
nihilò speciosam hanc coeli: ac mundi machinam

a iij



formare: ita nunc quoque esse ac semper fore ut  
pro arbitrio integra ac ualida euertere & euerfa  
restituere ualeat. Res igitur aduersæ quæ Me/  
diolanensi urbi quouis tempore contigerunt: ob/  
stare non debent quin innumerabilia se a deo ac/  
cepisse beneficia fateatur: siquidem in eam par/  
tem accipi debent: ut per eas eternis periculis in/  
quæ dilapsa erat ciuitas erriperetur: id quod er/  
ga liberos in paterna disciplina conspici solet. Nā/  
quanquam parentum plagæ filiis moleste uideantur:  
eō tamen tendunt: ut deteriora filii relinquunt:  
atque ad uirtutem reuocentur. Innumerabilia igitur  
celestia sunt munera quæ Mediolanensi popu/  
lo deus contulit inter quæ non nisi ingens dici/  
illud debet quod in eligendo urbis situ ciuitas ade/  
pta est. Nam cum in subribus populis qui hanc re/  
gionem uicatim inhabitabant mentem eam in/  
fudit: ut se in urbis formam reciperent: hoc quoque  
boni contulit ut condendæ urbi inter duos am/  
nes Ticinum atque adduam locum ita deligerent  
ne quia fluiuorum alteri urbs uicinior esset: alteri/  
us commoditatem amitteret. Ad quod accessit  
ut preter eos quos diximus atque alios duos mino/  
res fluuios olonam atque lambrum qui ad urbis ne/  
cessitates pene muris ipsis illabuntur: is etiam eēt  
regionis situs ut posteritati modum prestaret ex

adduam Ticinoque duo incilia tanquam duo alia  
flumina deriuandi: non ad irrigandi solum ac/  
molendi usum: uerum etiam ad navigationis  
commoda non secus ac si ripis utriusque amnis  
ciuitas imposita foret: utraque etiam parte si/  
tus effecit ut ingentium fluiuorum precipiti cur/  
su ualidius hostes arcerentur: neque uero ab  
oriente atque occasu tantum per ea flumina ur/  
bis securitati prospectum fuit: sed in meridiem  
quoque ubi planities in fertilissimos campos ex/  
tenditur: padus qui haud iniuria fluiuorum rex  
appellatur: ceu repagulum ingens se obtulit: si/  
qua alia gens ab italia mediolanensem popu/  
lum infestare uellet. Quin etiam a septentrione  
non minorem securitatis rationem hic situs ha/  
bit: obiectis aduersus exterarum gentes in immen/  
sam altitudinem alpibus: sed ut felicius quoque  
cultores haberent: solum pene undique tam faci/  
le humorem prestat: ut ubi flumina aut proprio  
cursu aut per aqueductus irrigationi non serui/  
unt: fontium humor succedit humana ope ex ter/  
ra uisceribus errutorum.

Hæc amplissima fuerunt munera: quæ in cō/  
denda urbe Mediolanensi populo deus contu/  
lit: ceterum longe maius illud fuit quod postea ei



datum est: cum melioribus iactis fundamentis eum in christiana fide regenerauit. Bernabam enim unum ex christi uiuentis discipulis episcopum dedit: per quem in catholica fide Mediolanenses instituerentur. neque eo contentus post multos alios fideles antistites Ambrosium ciuem romanum ab insulis iudicialibus secularique trono ecclesiasticum ac spiritualem patronum mediolanensi populo constituit: ut in urbis ac potius orbis documentum sanctae doctrinae ueros atque inexhaustos thesauros proferret: post quem Simplicianum quoque mirandae sanctitatis hominem magnumque aliorum sanctorum praesulum numerum ei tribuit: per quos effectum est: ut commodis urbis: quae regionis situs prestabat: alia adderentur per quae tanquam celestis gratiae flumina hominum mentes irrigatae: cultaque in marcescibiles fruges in eterna uita compararent. Hoc in loco minime commemorabimus abbas: ac deinde alia ab illis condita monasteria in quibus magnus uerorum dei cultorum numerus alebatur: alius enim huic rei locus seruatur. Nunc recedenda tantum nobis ea loca sunt ubi ad exercendam pietatem omni hominum generi aperta sunt uia ut cum per misericordiam deo homines inseruirent: celestis regni possessionem acquirerent.

Satis igitur non fuit his praesulibus de quibus mentio facta est: in monasteriis maribus feminisque ratione deo inseruendi ab omni mundana fragilitate securam constituisse: re quoque atque exemplo egerunt: ut in urbe inter cetera nouem excigaretentur loca: in quibus deo honos haberetur: qui misit filium ut procul celestibus thesauris aeternoque trono ad homines redimendos inopiam cum humana carne indueret: erga egenos hospitalitas exerceretur. Haec Xenodochia greci dicere consueuerunt: apud nos autem ut latine potius propter hospitalitatem cuius gratia condita sunt: siue a morbis morboniae aut ualitudinaria appellentur usus inualuit: quarum nouem domorum quaedam intra urbis muros posita: quaedam extra tanquam pro portis conditae intus forisque uelut arces ac propugnacula impietatem longe a Mediolanensi populo arcerent: colendaque pietate erga eos qui aut aegritudine affecti: aut senio alioque casu in eum statum concidissent: ut sine aliena ope uitam ducere nequirent: celestem sibi gratiam ciuitas conciliaret seruaretque.

De nominibus nouem hospitalium quae ab initio facta fuerunt.

Ca. iiii.



**H**orum igitur hospitalium domorum  
quæ extra urbem positæ sunt: uni quæ  
ad orientem uergit sancti Dionysii aba-  
tia ei propinqua cognomentum dedit: ad meri-  
diem alia abatia quæ Sancto Celso dicata est:  
aliam a se hospitalium domum appellauit. In pro-  
pinquo alia est sub Sancti Lazari titulo hospitali-  
tati dicata domus: cui alia hoc nomine uocata:  
que in aliam manum transiuit: nomen dedit.  
Inter ticinensem ac uercellinâ urbis portas duæ  
hospitales domus sunt haud multum inter se di-  
stantes. Alteri abatia Sancti Vincentii quæ con-  
iuncta est nomen dedit. Altera Sancti Ambro-  
sii cognomen obtinet quæ Sancti Victoris abatiâ  
pene contingat. Extra Comensem portam unum  
est hospitale: cui coniuncta Sancti Simpliciani  
abatia appellationem contulit. In urbe ipsa tres  
sunt ad exercendam pietatem dicatæ domus:  
quarum una a regione propinqua inter tonsam  
atque romanam portam brolii cognomentum  
accepit. Duæ aliæ mulieribus alendis dicatæ sunt  
una sub sanctæ Caterinæ titulo. Altera noui ho-  
spitalis supra murum: siue bonæ quæ mulier lo-  
cuples illius loci fortunas auxit: cognomen ade-  
pta est.

Quo modo horum hospitalium opes creue-  
rint & postea in contrarios usus uersæ fuerint.  
Ca. y.

**A** Partis initiis hæc loca in magnas opes  
creuerunt: quia incensæ celestis ignis flâ-  
ma hominum mentes id unum com-  
modis suis precipue recondi arbitrabantur: quod  
in pios usus collatum a se fuisset: inter quos ad au-  
gendos huiusmodi hospitalium domorum for-  
tunas precipue enituit post uiccomites principes  
Ottonem Ioannemque Mediolanenses archiepi-  
scopos Bernabouis uiccomitis beneficentia: qui  
Mediolani rerum potitus ne sibi uni bona quæ  
acceperat congestisse uideretur: ad leuanda ege-  
norum incommoda his pene omnibus locis in-  
gentia predia dicauit. In eis igitur ad exercenda  
misericordiæ opa plurimum pietas incaluerat: sed  
ut plerumque in humanis rebus contingit: ubi hominum  
mentes uirtutis obliuio capitali uitæ regnum in-  
uadunt: quod in his locis ut egenis succurreretur  
paratum erat: auaritiæ ac simul uoluptatis instru-  
mentum factum est: qui enim eis præerant ut bonâ pau-  
peribus distribueret: quod ecclesiastica dignitas fa-





ciliores eis impetrationem faciebat amicorum fauore uel largitione perpetuos se ipsorum bonorum ministros effecerant atque ita quod alendis egenis humani generis redemptori ac patri eterno dari debebat: omisso egenorum subsidio: dispersi atque in illicitos sceleratosque usus conuerti coeperunt. Hæc euerſæ pietatis origo fuit his in locis in quibus primordia congregandarum opum eo tantum spectauerant: ut illorum incommoda leuarentur quibus ad ducendam uitam in sola dei misericordia spes relicta erat.

Vnde reformatio initium cepit.

**C**ay. vi.  
Vn igitur per hunc modum his in locis hospitalitatis ratio euerſa eſſet: ita ut eius ne uestigium quidem ullum appareret: malaque ipsa in longum tempus italarum rerum turbatio confirmasset: anno quinquagesimo sexto post mille quadringentosque a uirginis partu Franciscus Sfortia singularis uirtutis princeps: cui bonitate pares raro natura edidit: parto mediolanensi ducatu: cum Italiae quoque pacem peperisset: inter alia in quibus exercendam in pacis studiis censuram suam duxit: hanc quoque restituendi in pristina pietatis opera has hospitales domos curam suscepit: ad quam rem cum senatum ac

reliquos magistratus atque insuper nobilitatis quoque mediolanensis omniumque ciuitatis ordinum concilium collegisset: ac preter eos omnium religionum quæ Mediolorum erant: in primis quoque illius quæ sub sancti Francisci titulo regularè obseruationem proficitur. In qua tunc præcipue Michaelis Carchani uirtus enitebat: cuius uehementissimæ conciones ad has reformandas domos populorum inflammabant: primarios uiros adhibuisset: re mature tractata atque his repetitis quæ ante Mediolanensis populus sub pontifice Nicolao quinto mouere atque agere ceperat: in id omnium sententiis itum eſt: ut nulla re facilius in locis de quibus dictum eſt: reuocari hospitalitas posset quam si nouum hospitale conderetur: cui nouæ istæ: quas diximus: euerſæ hospitales domus: & si quæ alia in urbe atque eius agro similes eſſent: quæ ab ecclesiasticis curatoribus regerentur: cum omnibus fortunis annecterentur: agereturque ad uitanda in administratione perpetuitatis mala: ne per ecclesiasticos solos regeretur: sed in manu ciuium cum duobus ecclesiasticis: ut eius ordinis ratio haberetur: administratio eſſet: qui quotannis ex nobilitate deligerentur: cui ad trahendam huius subsidii spe multitudinem a uicinis agris ac montibus in urbis operas atque industriam hæc enim opes alie atque imperium illustrat: an



te alios bono cedit: ut egenorum necessitatibus subueniatur. Rationem igitur illam inire placuit ut sub his quos diximus rectoribus noua domus ad hospitalitatem conderetur: quæ hospitalibus aliis præesset atq; structure magnitudine alendorumq; inopû numero omnes superemineret: receptiq; in ea inopes in alias postea hospitales domos distribuerentur pro ægritudinum genere: ut inferius declarabitur.

Qui reformationis auctor fuerit: & ubi eam tractauit. Ca. vii.

**T**aq; cum in hunc modum ad restituendam in urbe hospitalitatem consiliû esset inritum: cui rei & princeps: & cuius animi uehementer intendebant. In numero so enim populo sicuti Mediolanensis est: nulla nimis magna leuandæ inopiæ: adhiberi cura poterat. Contigit: ut eo tempore Franciscus Sfortia Mantuæ esset: in quam urbem Pius secundus romanus pontifex christianos principes ad christianæ fidei causam tractandam uocauerat: is hæc postulata suo & ciuium Mediolanensium nomine porrexit: ut ab apostolica sede noui huius hospitalis foundationem atque ut ipsi ceteræ hospitales domus: de quibus dictum est: cum aliis quæ in urbe atq; eius agro essent annecterentur. Quare in sacro senatu diligenter tractata

biennio postq; de huiusmodi re Mediolani mentio fieri ceperat: decembri mense pontifex postulatâ annuit: ac titulo uirginæ annuntiationis nouæ domui indito: normam qua administrationis præfecti deligerentur: atq; tempus quo in administratione manerent præfixit: quemadmodum paulo post latius explicabitur.

De situ hospitali magno designato atq; eius titulo. Ca. viii.

**S**fortianus igitur princeps qui pridie idus aprilis biennio ante solemnibus ceremoniis noui hospitalis prima fundamenta iecerat: in arce quam intra Nazarii ac Stephani martyrum templa ad orientalem urbis partem habebat: munus ad hospitalis ædificationem datum noua sanctione firmavit: egitq; ut hæc hospitalis domus a seus magnitudine: & quia tam multorum aliorum hospitalium in urbe atq; eius agro princeps ac caput facta erat sub titulo: de quo dictum est: magni cognomen haberet. De magni hospitalis forma Ca. viii.

**H**ic magni hospitalis situs: forma autem ea coepta est ut templum uirgini dicatû sub eo: quæ diximus: titulo: duo ingentia quadrilatera spatia medium cõprehederent: neq; tunc quidẽ aliud templo factum fuit: nisi ut ad dedito cû cimiterio locus designaretur: earû uero



de quibus diximus: quadrilaterarum figurarum una a meridie condita coepta est, quae crucis signo in aequas diuisa partes inter crucis brachia exterioreque quadrati partes quatuor minora quadrata complectitur.

Hoc totum spatium extrinsecus in magnificam speciem amplis porticibus circumseptum est nisi qua ad orientem uergit: quia ad urbis fossam protensum: illic sine porticu desinit: interius quatuor minora quadrata duplici porticu ambiuntur: ut commode per eas supernae inferaque domus atque officinae adiri possint: crucis forma ampliore super cetera mole extructa ualitudinario dicata est. In quem locum singulis lectis seorsum excepti inopes aegri atque inter se uelaribus distincti recipiuntur: ubi in medio crucis brachia coeunt: testudo surgit: & sub ea altare extructum est: quatuor crucis partibus conspicuum: ut in lectis suis iacentes aegri bis quotidie: totiens enim illic sacra peraguntur: commode sacrificantem spectare sacerdotem possint. A septentrione locus est ab alia templi parte alteri quadrilatero spacio relictus: cuius nundum iacta sunt fundamenta: sed tenui tantum muro circumseptum eius area sicut templo cum eius cimiterio designatum esse locum ostendit. Pars igitur perfecta: quae in crucis signum surgit ad eos continendos: ut di-

ctum est: qui affecta ualitudine laborant: fornicato opere inferius suspensa condendo uino lignisque deferunt: ac simul ut in eius parte stabulari animalia ualeant: quae alendis inopibus coemuntur ad eius latera aegrorum sordes a singulorum lectis per occulta loca cloacis recipiuntur: ductaeque pronis canalibus aquae subterraneo opere eas extra urbem deferunt.

Minora quatuor spacia: quae diximus inter brachia crucis esse comprehensa: officinas continent aegrorum atque inopum usibus necessarias: in quibus culina: penarium: apothecaque condenda farinae medicinalibusque rebus dicata: item conclauis honoris plenum: ubi consilium gerendarum rerum: quae ad hospitale pertinent: praefecti habent: praeterea locus ubi magistri rationum sub questore rem pecuniariam ac rationum libros curant: ubi scribae hospitalis iura obseruant ubi medici agunt: ubi hospites extra aegrorum numerum excipiuntur: atque hi quoque qui aduersa ualitudine laborantes honestiore sunt genere: quam ut gregatim in ualitudinario cum plebe contineantur: praeterea triclinium grandae domesticae familiae atque iis qui aegris ministrant stratium: maioribus porticibus in magni quadrati ambitu orrea superimposita sunt: & quia aliarum quoque rerum quae dicatae sunt: numerosae domus usibus ne-

b



cessitas incombis: minorum quoque quadratorum  
aedificia qua ualitudinariam non attingunt sus  
fossa atque fornicata furnos continent: thermalque  
ac calentia loca . item macellum & ubi lauandis  
purgandisque pannis calentium frigidarumque  
aquarum necessarius usus est. Hac omnia eo spe  
stant ut commode inopum atque aegrorum neces  
sitatibus opera dari ualeat: quorum nisi ea habe  
retur ratio ne promiscue cum maribus feminae  
miseretur: parum laudis secum ferret cura quae  
alendis iuuandisque aegris adhiberetur. Eorum  
igitur qui huius hospitalis fundamenta iecerunt  
ea fuit mens ut duorum ingentium quadratorum  
quae ab eis ad meridiem ac septentrionem desi  
gnata diximus: alterum in marium alterum in fe  
minarum usum separatim haberetur. Itaque inte  
rim dum alterius quod superest conficiendi ut  
res fortuna imo uerius diuina bonitas submini  
strabit ut in parte confecta uterque sexus honeste  
contineatur: hac ratio inita est: ut e quatuor uali  
tudinarii brachiis tria quae ad ortum solis occa  
sumque ac septentriones respiciunt maribus tan  
tum dicata sint. In quarto quod ad meridiem pro  
currit muliebris tantum sexus contineatur: atque  
haec pars tabulato qua ara propinqua est a cere  
nis partibus discreta a marium consuetudine se  
paretur.

### De eius Administratione.



**M**ec est origo: hac forma magna hos  
pitalis domus in huius primi quadra  
ti spacia figura quam ostendimus ex  
pressa. dequitur nunc administrationis forma in  
qua pontificia sanctione illud in primis statutum  
est: ut ad euitanda in administratione perpetui  
tatis mala in quam ut dictum est: superiorum te  
porum ministri inuaserant: in posterum & nouae  
& annexarum hospitalium domorum regimen  
in seclarium hominum manu sit: quorum ad de  
cem & octo numerus habeatur: qui ex Mediola  
nensi nobilitate: ut ante mentio facta est: deliguntur.

### Quo modo praefecti deligantur.



**D**eligendorum aut forma haec praefixa  
fuit: ut dominico die cui proxime uirgi  
nis annuntiationem sequitur: priorum lo  
corum: quae eo tempore in urbe erant praefecti om  
nes Mediolanenses ciues: & cum eis duodecim uiri  
urbanae prouisioni praepositi ante Mediolanen  
sem archiepiscopum: siue ipso absente eius uicarium  
conueniant: atque in eius manu ciuium honestae for  
tunae: quorum industria perspecta sit ita ut senum  
singulas portas habeantur: nomina sex & triginta  
relinquant: ex quorum numero ordinaria



potestas decem & octo uidelicet tres in singulas  
portas: quos huic prouintiae aptiores duxerit: deli-  
gat: electosq; ad se uocet: & quibus poterit ratio-  
nibus ne onus detrectent suadeat: atq; etiam ma-  
gno opere hortetur. In eundem administrationi  
tempus Calendarum maii prefixum est: que in  
annum extenditur. Hac eligendi ratio ab initio  
condita in posterum seruata est nulla neq; nu-  
meri neq; hominum qualitatis ratione mutata:  
nisi quod post primum annum quaeruntur tri-  
ginta sex nomina ordinariae potestati presenten-  
tur non decem & octo ut in principio: sed duode-  
cim tantum electi sunt: & eligi semper debent:  
quod ex decem & octo qui in magistratu primo  
anno fuerunt ipsorum suffragiis sex delecti  
sunt: qui in sequentem quoque annum admini-  
strationem continuarent: ne res in eorum manu  
ueniret: qui gestorum negotiorum cognitionem  
prorsus nullam haberent. Sex igitur ex prioris  
anni rectoribus & duodecim qui sequenti anno  
electi fuerunt decem & octo numerum impleue-  
runt iuxta apostolicae ordinationis formam: quae  
hactenus sincere seruata magno studio custodi-  
tur. His praefectorum nomen inditum est: ut cum  
electos se ex ipso nomine ob id intellexerint: ut  
bene gerendarum rerum ad pauperes pertinen-  
tium curam sustineant: sciat totis sibi uiribus eni-

tendum: ne quid diligentiae in egenorum nego-  
tus pretereant: quod propriis rebus adhibitum  
cuperent. Commodum his nullum salarii no-  
mine propositum est & propterea ex nobilitate  
deliguntur: ut cum eis domi fortunae non de-  
sint: facilius sibi persuaderi patiantur: ne gratui-  
tam egenis operam dando graue sibi ducant  
in meliore uita immarcescibiles tesauros con-  
parare.

Quare principalis potestatis locum tenens  
additus sit.

Ca. xii.

**E**rum ut administrationi maior quo-  
q; diligentia adhiberetur: decimus  
nonus huic numero additus est:  
non annuus sed eius arbitrio qui in urbe rerum  
potitur delectus: cauere enim pro uirili sua  
principalis potestas uoluit non tam ne se incon-  
sulta hic ciuium numerus conuenire posset: quam  
ut uicarii eius presentia ad rem inopu curadam  
diligentia augeatur. Ipsius igitur principis locum  
tenens dicitur nec solum in consilio primis sedi-  
libus accumbit: uerum etiam in rebus geren-  
dis nihil quod momentum habeat sine se effi-  
patitur. Ceterum cum nouem hospitalium do-  
morum quae huic nouae annexae fuerunt: quo  
tempore Romanus pontifex eas annexuit mi-  
nistri uiuerent: ut ipsorum quoque ratio habita-

b iiii



uideretur: sapientissimi pontificis prouidentia  
sanxit ut quo ad uiuerent cum prefectis in con-  
silio rebus agendis adhiberentur: Ita enim  
consuli eorum honori posse uisum est: & ne in-  
uictum rationes deessent ex hospitalium qui-  
bus presuerant: redditibus honesta summa ad-  
ducendam uitam assignaretur: illisq; deceden-  
tibus ministerii ipsius nomen extingueretur:  
possessaq; ab eis bona ad pauperes redirent.

De prefectorum officio. Ca. xiii.

**D**ecem & octo uirorū atq; unius qui  
principis locum obtinet prouincia:  
cum magni hospitalis de nouo erre-  
cti annexorumq; ei nouem aliorum æque ut  
fortunarum: ita etiam agrorum atq; inopum  
curam comprehendat: quia in magno ueluti  
membrorum numero atq; unius capitis erga  
ipsa omnia tanq; boni patres familias prestare  
prefecti officium suum debent: in eis curandis  
naturam imitati sunt: quæ in animatis corpo-  
ribus ad diuersa sustentanda membra unum  
tantum recipiendis cibus locum dicauit: unde  
postea digesti aliorum membrorum nutrime-  
to subministrantur. Itaq; hanc rationem inie-  
runt: ut in hac hospitali magna domo res om-  
nes pauperum usibus qui in hac aliisq; annexis  
domibus aluntur: necessariae preparantur: qui-

bus non modo per cibos uita sustineatur: uerū  
etiam medendo agrorum salus curetur.

De orreorum prefecto. Ca. xiiii.

**I**n his autem cū inter primas alendo  
corpi partes panis se necessitas offerat  
ingentibus in hospitali magno extru-  
ctis orreis: ut conditi in eis ingens frumentaria uis  
possit: creatus quoq; minister est qui orreorū cu-  
ram habeat: & frumentaria rei siue ex posses-  
sionū redditibus acceptæ: siue precio coemptæ  
diligenter operam det: non modo dum in orre-  
is fuerint: ne uitium contrahat: uerum etiam ut  
molis contrita iuxta pondus ac mensuram su-  
am pistori per ipsum tradatur.

De Pistore. Ca. xy.

**H**ic alius minister est id circo creatus ut  
panem in omnium horum: de quibus  
dictum est: hospitalium usum confi-  
ciat: atq; etiam ut secundum prefectorū impe-  
rium alius quoq; pauperibus extra hospitales do-  
mos farinam dispense: certior tamen maiorq;  
eius officii pars conficiendi panis rationem re-  
spicit: ut quotidie tantū decoquat: quantum pau-  
perū ipsorum ac ministrorum usus absument: &  
pro accepti in farina pōderis atq; mensuræ rōe  
illud tertio ministro in panariā cellam inferat.

De Panario prefecto. Ca. xvi.

b iiii



**P**anarius prefectus penes quem omnium capitum foris in annexis hospitalibus domiq; agentium numerus est: quotidie externorum hospitalium rectoribus magniq; hospitalis architrachino necessariam in singula capita panis summam exhibet: acceptiq; ac dati rationem in libros refert: ac simul eius quoq; rationem habet qd prefectorum iussu alius ultra domesticos inopibus dari contingit.

De rei uinariae prefecto. Ca. xvii.

**P**rimam in hominum uictu panis necessitatem uini usus sequitur: sine quo confectis aut aegritudine aut longo aeuo praepere non satis commode consulitur. Vt igitur condendo uino cella ingens sub ualitudinario dicata est: ita etiam praefici ei ministrum debere uisum est. Quamobrem creatus est quartus minister qui rei uinariae uniuersae curam gerat. Is cum per uindemiam expressum in hospitalium possessionibus uinum condendum est: pro capitum numero illud inter magni hospitalis aliorumq; annexorum cellas partitur: idemq; in ea efficit uini uiquae ad implendam necessitatem reliquis anni partibus comparatur: ut pro capitum numero tam annexae quam primariae hospitalis domus habeat: quae in potu desiderare humana necessitas cogitur: acceptiq; ac expensarationes in li-

brōs ipse quoq; refert: neq; illius modo quod ex domesticorum capitum ratione dari ex ordine in dies singulos ordo exigit: uerum etiam siquid extra hunc usum preberi contingit inopibus quos hinc egestas premit: illinc ab honesta fortuna in deterius lapsa res a mendacitate deterrent. Caeterum quoniam rei magnitudo unius hominis opera contenta esse non potest: huic uilior minister comes additur: qui in magno hospitali uinariae cellae clauis tenet: atq; pro temporum ac rerum necessitate uinum promit.

De promo siue penariae cellae prefecto. Ca. xviii

**C**um autem solo pane uinoq; communititer uiuere mortales nequeant: praefertim qui affecta ualitudine sunt: sicuti penarium ad esculenta condenda extractum est: minister quoq; ei praeficiendus fuit: qui quotidie omnium hospitalium inopibus esculenta promeret. In quarum rerum numero cum non salsameuta solum caseus: oua: oleum: butyrumq; ac pisces: atq; alia huius generis censeantur: uerum carnes quoq; sint: quae maiorem huius impensa summam secum ferunt: sub maiore promo minor minister creatus est: qui proximas regiones circueat ad coemenda animalia: quibus maiore compendio pauperum necessitati satifiat. Haec in hospitali sub ualitudinario stabulis



enutrita statis diebus quantum in ebdomade  
absumi debet duodenis in capita singula quoti  
die assignatis uncis occiduntur: penarioq; pro  
mo representata domi forisq; iuxta hunc or  
dinem quem diximus: dispensantur.

De ministro qui cruda a promo accepta de  
coqui curat. Ca. xviii.

**N** culina crudis carnibus ceterisque  
esculentis recipiendis pprius minister  
est qui eodem quo accepit pondere  
ægris ceterisq; domesticis accepta partitur: & qua  
temporis huic plurimum superest: ei quoq; iniū  
ctum est: ut ueluti speculator eorum quæ ab or  
reis deferuntur cum eadem a molendino refe  
runtur: inspiciat quam fidelis rectaq; opera mo  
lendo prestita sit: inuenta q; in libros referat.

De Coquis. Ca. xx.

**C**ulina quæ tam magno hominū nu  
mero nauare operam debet: haud  
parui laboris opus exigit. Quam ob  
rem quatuor parandis cibus mulieres dicatae sūt:  
quia is sexus minore impendio p̄stare operam  
suam experimento iudicatus est. huic numero  
ministrarū prudentior femina p̄fecta est: quæ  
in officio alias contineat & si grauior labor suc  
creuerit: adiutrices prebentur ex ægrarum uali  
tudinario ministræ aut ex earum numero: quæ  
purgandis pannis operam dant.

De ministris ad pannorū purgationē. Ca. xxi

**Q**uatuor enim sunt propinquo culinae  
subterraneo loco agentes ubi uiuarū  
aquarū fontes: item aliunde deducta  
rū canalles lotioni p̄paratis quoq; ad calefacien  
das aquas caminis deseruiunt. in ppinquo in ip  
sa urbis fossa protensa herbosa area: ut recepto  
illic sole facilius panni exsiccantur: cui rei diligen  
ter opera dat. quoniam munditia omnibus re  
bus: ac p̄sertim his quæ ad ægros pertinent ne  
cessaria: si desideraret reliqua omnis impensa:  
quæ in eos fieret non solum parū grata uideretur:  
uerū fructum quoq; non putaret afferre.

De medicis & medendi cura atq; ope. Ca. xxii.

**H**umanæ uitæ usibus medicorū opera  
itē pharmaca ceteraq; pellendis ægri  
tudinibus inuenta necessaria sūt. qua  
tuor igit phisici singuli in singulas crucis partes:  
item totidem chirurgi similiter diuisi conducunt  
his ut qntus adderet chirurgus noua ægritudo  
efficit: quæ in hominū genere sub gallici morbi  
nomine errupit: posteaq; hispania marrani ge  
nus hominum haud recte de christiana fide  
sentiens a Ferdinando seniore temporibus no  
stris in neapolitano regno recepti sunt. Nam  
cum intra breue tempus uita functo Ferdinan  
do galli armis sibi neapolitanum regnum duce  
Carolo octauo rege peperissent: ea uis mot:





bi primum illo in regno detecta est: serpereq;  
in alia corpora: maxime per ueneris commerti  
um experimenro inuenta est: in quosdā dolor  
tantum circa artuum nervos ossaque ipsa de  
sceuuit: aliorum autem intestina quoque inua  
sit: atq; in ipsam cutem erripit. obfessoq; guttu  
re extinxit. hoc curando morbo medicorum ge  
nus frustra expertum quicquid ingentibus ipso  
rū uoluminibus cōtinetur pene defecit: uix pau  
cissimis quibusdā inuētis qui nouæ ægritudini  
opem asserre possent. Quam ob rem ea res: ut  
dictū est: egit ut phisico qui extra ordinem hęc  
curā suscepit quintus adderetur chirurgus: qui  
huius curatōis tenere se rōnem profiteretur: ne  
quātū humana prouideri ope poterat in ualitu  
dinario sine remedii spe huiusmodi ægritudo  
relicta: ægros si in corpibus adēpta salutis spes  
foret: in seruandorum quoq; animorū despe  
rationem induceret. Supererant tres quoq; alii  
morbi quibus haud facile curatio inuenieba  
tur. Duo maxime in pueris inuenti: cum uel ca  
put alopecie siue porrigo occupat quæ cum cu  
te uiciatis capillorum quoque radicibus scabio  
sum glabrumque caput reddit: aut pueris per  
largiorem fletum siue aliis adultioribus niten  
do solutis uinculis intestina defluūt. Tertius dif  
ficilioris curationis morbus erat cū calculo labo

ratur: qui plerunq; in maribus ætate pene om  
nes comprehendit. Itaq; maiore etiam impensa  
chirurgus huius morbi curationi conductus qui  
secundo qua genitale membrum corpori anne  
ctitur inde lapidem erruit: in aliquot hominibus  
ætate nostra supra ouī magnitudinem inuētum:  
ceteris quoq; quos diximus: duobus morbis non  
id circo quia facilior cura est: minor adhibetur  
diligentia. Conducti igitur sunt qui subligaculo  
intestina coercent: atq; id agunt ut in teneris ma  
xime soluti nerui in pristinam connexionem coe  
ant: & alii qui de rasis capitibus extirpata sensim  
priorē cute quam morbus inuaserat nouam niti  
damq; superinducant.

De Medicinalium rerū cella & eius prefecto  
Ca. xxiii.

**H**æc ad medicos pellendorum morbo  
rum artifices ordinata sunt. Ceterum  
quoniam parum consilio atq; arte ad  
curandos ægros efficeretur si pharmaca ceteraq;  
pellendis morbis curandisq; uulneribus necessa  
ria remedia deessent: in ipso hospitali magno ex  
tructa est ingens officina in qua aromaticarum  
medicinaliumq; rerum copia omnis habetur: ut  
tam chirurgi q̄ phisici rationem habeāt qua ægro  
rum curationi operam nauent. Officinæ præse  
ctus est eius artis peritus: additq; duo ministri



qui cum eo die noctuq; ægrorum necessitati in-  
seruiunt: non in ipso tantum magno ceterisq; an-  
nexis hospitalibus: uerū aliis quoq; extra hospita-  
les domos mortalibus: si qui aduerso morbo cor-  
repti parrochianorum suorum testimonio mise-  
ricordia digni docentur esse: illis enim quoq; gra-  
tis ut deo honos habeatur: medendi remedia ut  
prebeantur institutum fuit.

De Expositis Infantibus.

Ca. xxiiii.

**Q**Uæ hactenus dicta sunt ad eos iuuan-  
dos pertinent: qui ægri sunt: aut senio-  
sive alio aduerso casu in eum statum  
reducti ut digni sint in quos ob dei honorem pie-  
tas atq; beneficentia exerceatur. Vnum superest  
hominum genus dignum: cui in primis latæ esse  
opem cupere omnes debeant: neq; enim imbeci-  
lis eorum ætas permittit: ut ipsorum casibus opi-  
tulari illa quæ diximus ualeat. Hi autem sunt qui  
in ortu sui primordio a scelis pentibus morti ex-  
ponuntur: ut uel dedecora sua occultent illegitima  
suscepta sobole: uel propter inopiam aut auaritiã  
ab iis qui eos procreauerunt extra paternæ opis  
atque charitatis complexum relegantur. Horum  
incredibilis pene numerus uidetur: nam plerun-  
que supra mille inueniuntur esse, his igitur quo

maior numerus est: maior etiam adhibenda ui-  
detur cura: quod ea ætas quæ neque sibi prestare  
ipsa usum ullum ualeat: neque loquendo necessu-  
ria docere ac petere: maiore digna est commise-  
ratione. Horum igitur necessitati singularis adhi-  
bita est cura. In primis enim magno precio con-  
ducta est longo expimento perita obstetrix quæ  
cum aliquot nutricibus assidue ad excipiendos  
expositos infantes in propinqua hospitali domo  
broti parata manet. Ad hanc expositi deferuntur  
ab iis quibus in magno hospitali ea cura iniuncta  
est: primæque officii in expositos partes illæ sunt  
quæ ad regenerandos in christiana fide per bap-  
tismi lauacrum pertinent: nisi contingerit ut ali-  
quo signo quod infantibus annexum inueniatur:  
intelligant in sacro fonte lustratos fuisse.

Sed quoniam nutrices in loco ipso: de quo dixi-  
mus: parate: ob id tantum illic tenentur: ut in expo-  
sitorum aduentum extemporanea alimenta pre-  
beant: & non dum adultiores facti solidiore cibo  
ali possint: prefectus est huic prouinciæ uir pri-  
dens ad quem omnes expositi deferuntur: cuius  
non ea solum cura est: ut nomen sexumque eo-  
rum qui expositi sunt describat & ea in libros  
referat: una cum tempore: quo ad hospitale  
delati fuerunt: addito: si fieri potest loco unde



allati sunt: illiusque nomine qui eos derulit: uerum inueniendarum quoque nutricum ad eos alendos usque in quartum annum onus sustinet: Nutricibus in biennium alimenta sub lactis nomine deinde alio biennio sub solidioris nutrimenti ratione persoluuntur: impletoque quadriennio a nutricibus hospitali restituuntur ubi alendorum in maiorem aetatem ea inicitur ratio quae paulo post declarabitur.

Ceterum crescente in hominum genere impudicia atque impietate maxime per belli tempus ut nunc est: quo milites praesertim gregarii sacra prophanaque omnia miscent: neque alendorum quos procreauerunt: curam ullam in aliena regione uolunt: magnam quoque necesse est hanc esse prouidentiam qua expositorum cura continetur. Itaque unus quam magna uir prudentia ei rei satis esse nequit: parumque ex rei necessitate foret iis infantibus nutrices adhibuisse nisi opera quoque daretur: ut a nutricibus diligenter curarentur. Huic igitur qui expositorum cura praefectus est: additur comes uir ipse quoque prudentia praeditus. huius partes sunt nutrices inuenire: assidueque loca quae ab eis incoluntur obire: ut coram inspiciat quae diligenter expositi infantes a nutricibus habeantur: & si quid perperam ab eis fieri uiderit: illud corrigat aut etiam si parum uerbis castigando se

cerit ad meliores nutrices ipsos transferat: neque alia pars in hospitalis cura comprehenditur: cui maiorem se praefecti prestare diligentiam debere arbitrentur.

Huius igitur praefecti in expositorum educatione cura non ad nutrices tantum se extendit: uerum etiam indumenta eorum complectitur: ac panos quibus in primis mensibus eos inuolui mos est: atque ut illatorum in hospitali dum uiuunt una cum uestibus rationem in album ac libros refertata morientium quoque tempora ac dies describit ut semper inueniatur quem exitum eiusmodi expositorum fortuna habuerit.

De hospitalis Questore ac rationariis scribis.

Ca. xxv.

**H**Aec eorum ratio habita est. Nunc quoniam nouem hospitalium domorum possessiones in huius magnae curam delatae fuerunt: una cum ceteris quae ipsi magnae post foundationem legatae sunt: necessario cum multis ei rem esse necesse est: & propterea opera non parua adhibenda est ut fructus ac pecunia quae debetur exigi possit. Creatus est igitur questor ad quem omnis deferatur pecunia quae hospitali quotannis debetur: usque ex decem & octo praefectorum numero deligitur ac duo adhibentur ministri rationum magistri qui in libros diligenter referunt

b



quantum a quoq; debetur: quantumq; persoluitur & quantum alis hospitale debet atq; persoluit. Hac autem punitia quonia late patet: tertii quoq; ministri operam exigat: ut eius diligentia debitorum nomina excitentur: quoniam plerunq; quae debetur pecunia penes debitores nisi hac diligentia caueretur: non sine graui inopum detrimento maneret.

De Architecto & q cum eo hospitalis opus curat.

Ca. xxvi.

**T**Am multis fundis totq; edificis quae in colendis possessionibus fieri necesse est boni architecti: qui item mensurarum in ueniendarumq; ac ducendarum aquarum rationem teneat usus praecessarius est. Conducta est igitur in eius modi usus perpetua architecti opera: quae domi forisq; in eo semper occupata est: ut hospitalis fundi uel edificando uel in ducendis aquis meliores fructuosioresq; reddatur: huicq; comites adduntur qui designato operi praesint: ac necessariam materiam comportari ac dispensari curent: ne quod prudenter nec sine magna fructus spe inuentum ac designatum est dum agitur per negligentiam pereat: atq; inutile hospitali reddatur.

De architriclino siue magistro totius domus hospitalis.

Ca. xxvii.

**A**m multa simul coacta officia tantusq; ad ea exercenda ministrorum numerus eadem in domo coaceruatus: nisi omnibus tanquam caput prudens uir praeficeretur: periculis patere uideretur quae obiecta sunt: ubi rerum magnitudini ac uarietati ordo abest. Itaque qui totam hanc hospitalem domum regendo prudentia sua complectatur: uniuersorum magister cui omnes pareant a decem & octo uiris praedictis creatur architriclinus: hic totam hospitalem domum in officio continet: hic agit ut qui officii praesunt: item qui agris ministrant partes suas impleant: ut inopibus atq; agris pietatis opus in tempore amanterq; submittant.

De iis qui in agrorum ministerio sunt. Ca. xxviii.

**I**s in ualitudinario hospitalis magnus: quod in quatuor crucis partes diuisum diximus: quaterni in singulas ubi mares agunt: uiri ministrant. At in ea parte: quae agras mulieres continet: quoniam earum maior quam marium numerus est: maior quoque ministrantium mulierum numerus datur: eis praefecta est prudentior femina ne, si ne regentis reuerentia relictae: neque enim illius sexus honestas omnibus horis magistrum domus recipere potest: in ea incommoda incurrant cum agrarum detrimento quibus rectori.

c ii



bus carētes obnoxii sunt. Ministri igitur iuxta genus suum die noctuq; agris assident. In hospitali mane uespereq; prima reficiendis corporibus hora agris designata est pro anni ratione ac phisica norma: quæ temporum momenta magister domus ac ministri diligenter obseruant.

De diligentia circa agrorum alimenta.

Ca. xxviii.

**L**endis autem agris haud aliter cibi studiose excoluntur: quam si eorum unus quisq; domi suæ in honesta fortuna suos in ministerio haberet. Ipsam autē ministrorū diligentiam exacuit: quod quotidie p̄fectorum prior: bimestri enim tempore in collegio primas obtinet partes: ac pleriq; alii ualitudinarium omni in parte obeunt: ut quod ministros accendit ad euitandum ne p̄fectos ipsos alicuius negligentia testes ac simul castigatores habeant: id ipsis quoq; agris ad recipiendam salutem in tanta diligentia bonam spem augeat.

De Sacerdotali ministerio erga agros.

Ca. xxx.

**H**æc ratio atq; norma est quæ curandis agrorum corporibus adhibetur: ceterū ne minus diligenter spiritus atq; eorū anima curetur: proter quā alia in orbe facta sunt: agris ecclesiasticorum quoq; sacramentorum mi-

nistri dicati sunt duo religionis cultu ac probitate uitæ sacerdotes insignes. Ab iis agri cum hospitali domum ineunt paterne excipiuntur: neq; uero ante necessaria curando corpori posteaq; excepti sunt: agris prestare mos est: q̄ per christianam confessionem expiati cum aeterno patre in gratiam redierint: ac parcendo inimicis omnibus renunciarint. Hæc apud deum prima agrorum animis remedia parantur. Ad ea post modum itur quibus corpori & medicamina: & cibi afferre opem possunt: Sacerdotumq; ministeria in aliis sacramentis pro rerum necessitate semper presto sunt quoad animam egerint: ne tum quidem iuxta religionis morem sepulturæ honos deest: cui assiduos domus alit ministros: ne in hoc supremo officio minori in eos charitate christiana hæc misericordia exerceatur q̄ ante dum uixerunt diligens opera data est: ne quid eis ad leuandos morbos iuuandaq; cibus corpora deesset.

Hæc ad agros ut uel adiuti pristinā recipiant salutem: uel morientes pro religionis ritu iusta habeant: statuta fuerunt. Ceterum posteaq; mane ac uespere architriclinus & magister qui domui p̄æst: agrorum refectioni cibisq; operam dedit: uel ut æquus pater familias are ad id constituto domesticam familiam in triclinium uocat: illic & qui officiis presunt: & qui ministrant pro

c iii

personarum dignitate corpora curant: uescenti-  
busq; lector diuina uerba insonat: ut qui in loco  
agunt misericordiae dicato: curandis corporibus  
non minus mentes sancta lectione q̄ corpora ci-  
bis reficiant.

Quando praefecti in hospitali conuenire de-  
bent: & de eorum consilii forma. Ca. xxxi.

**H**Aec est magni hospitalis in mediola-  
nensi urbe patrum nostrorum tempo-  
ribus erecti forma. haec regiminis ipsi  
us ratio: cui cum decem & octo uiri atq; unus q̄  
principis locū obtinet additus praefecti sint: ii ad  
ea quae tanti operis necessitas exigit tractanda ter-  
in ebdomade statis lune: martis: uenerisq; die-  
bus conueniunt: ministros consilii seruitio dicatos  
quatuor habent: quorum opera ad inducendos  
in consilium uenientes rerum necessariorum gra-  
tia atq; absentes uocandos utuntur.

De scribis siue notariis hospitalis. Ca. xxxii.

**Q**uoniam huius administrationis p-  
uincia late patet: duorum scribarū ope-  
ram adhibent: qui perpetuo nisi patra-  
tum aliquod crimen obstet: agendis in consilio  
rebus deseruiunt: his seorsum etiam dicatus  
est locus sub cancellariae titulo: ubi hospitalis de-  
scripta iura conduntur: eo in loco sub primari-  
is scribis duo etiam minores ministri agunt. Scri-

bae non solum litteris mandant ea quae in consilio  
praefecti uel decernūt uel respondent: uerū et om-  
nia conficiunt instrumenta rerū de quibus inter  
praefectos atq; alios de hospitalis rebus transigit:  
causas quoq; ad tuenda hospitalis iura sollicitant:  
procuratoribus atq; aduocatis mercede ad hospi-  
talis tuenda iura conductis adfunt: ut ab eis defen-  
dendarum rerum normam accipiant. & quo-  
niam non nunquam contingit ut mortales inue-  
niatur eiusmodi fortunarū cupidi qui eas usurpa-  
re conantur: in urbe roma: qui eis obsistat huius  
generis minister perpetuo pene semper habetur.  
Item quoniam ex ordine statutum est ut saepius  
quotannis praefectorum aliquis hospitalis posses-  
siones coram aedeat scribarum unus. item archite-  
ctus: alter de hospitalis iure: terminorum ac ce-  
terarum eius generis rerum alter peritus profici-  
sci cum praefecto iubentur. eiusmodi autem profe-  
ctio omnes in possessionibus hospitalis facilius in  
officio cōtinet: ut neq; usurpatores quia praefecto-  
rū praesentia absit plus q̄ debeat licere sibi putent:  
& colonos ceterosq; qui hospitalis negotia procu-  
rant praefecti praesentia diligentiores reddat. Ac-  
cedit etiam quod plerunq; his praefectis contin-  
git possessiones adire qui colendorum agro-  
rum periti sunt: qui in rem presentem profe-  
cti nouas per se perationes inueniunt aut inductis

aquis aut alio modo fructuosiores pauperibus faciendi possessiones.

De Norma qua hospitalia annexa reguntur.  
Ca. xxxiii.

**S**icuti ab initio ostendimus abolita in nouem hospitalibus quæ magno annexa sunt hospitalitatis ac misericordiæ ratio cum Franciscus Sfortia Mediolanensem ducatum inisset. effectit: ut huic magno fundando opera daretur: & ipsa nouem ei annecterentur. Itaque postea quæ magni origo forma atque regimen descriptum est: superest ut ratio explicetur qua idem princeps operam dedit ut in ipsis quoque nouem domibus hospitalitas ac misericordiæ opera restituerentur.

Ratio distribuendorum inopum in nouem hospitalia pro ægritudinum genere.

Ca. xxxiiii.

**T**estis situm scribere nequaquam necessarium est: quando quidem in eis de pristina forma nisi quatenus collapsa pars aliqua restituenda fuit: immutatum nihil est. Itaque reformatio ipsa in eo tantum adhibita est: ut in his nouem locis egeni atque ægri restituerentur. In qua re inita hæc ratio fuit. nam cum in miseriam coniecti homines subsidio opus habeant: siue quod pressa inopia uel corporis aduersa ualitudine la-

borerent: siue quod senio confecti sint: uel quod etiam in infantia mortis periculo expositi fuerint: si ægritudo eiusmodi est ut uel allatis remediis cito æger bonæ ualitudini possit restitui uel desperata salus paruum uitæ spacium relinquat. utriusque huius generis homines in ualitudinario hospitalis magni excipiuntur: ubi aut cito morituris hoc solatii est: quod exploratum habent nihil ipsis quod humana prestari ope possit de futurum esse: aut recepta bona ualitudine res suas in christi nomine curatum abeunt. Qua in re si qui æger uenerat ingenti inopia prematur: illud etiam gratiæ curationi additur quod in dei honorem aliquid supererogatur unde aliquot quoque dies extra hospitale uitam ducere possit.

Quæ cronice & diuturni temporis ægritudines sunt: aut ulceribus ac carcinomatibus constant: aut alia morbi uicium igitur multiplex esse possit ægritudo quæ longi temporis spacia requirit: iis qui lepra uel cancrenis: aut aliis sæuis eius generis morbis capti sunt. Sancti Lazari domus designata est. Si uero aliorum generum ulcera in ægros sceuiunt: aut senio debilitati unde uitam ducant: non habent: eiusmodi homines paratas brolii & sanctorum Dionysii Simpliciani atque Ambrosii domos habent. quod si mente capti sunt siue etiam in furorem aguntur seorsum eos sancti

Vincentii hospitale excipit. cuius generis hominum quoniam plerunq; paucitas esse solet: in eodem loco ægri quoq; aliorum generum: modo lepra absit: ac uetuli simul adhibentur.

Morbus autem quem superius hac ætate in humanum genus de nouo errupisse diximus: qui quanq; ut lepra totum hominem inuadat: a lepra tamen diuersam habere speciem periti affirmant: eorsum in brolii hospitoria domo excipitur: quod locus ille amplior est atq; in urbe ipsa commodius eum medici frequentant. Ad quem aliarum ægritudinum langoribus laborantes pauciore numero mittuntur: ut huic nouæ ægritudini capacior esse possit.

Duæ supersunt hospitales domus mulieribus dicatæ in urbe: & tertia extra urbis muros ubi excipiuntur expositi infantes posteaq; quarto anno a nutricum uberibus ac complexu depelluntur. De his ante dicendum est. Nam cum a nutricibus restituantur: eos sancti Celsi hospitale recipit: ubi domus late patet ac magni numeri: ut ipsi sunt capax est. Illic aliis mulieribus tanq; apud nutrices alendi designantur: seni in singulas mulieres: nec uictus modo eorum ratio habetur: uerum bis quoq; quotannis pro temporis ratione indumenta accipiunt: & preceptore

utuntur: ut habeant quo docente dominicam orationem: uirgini ab angelo factam salutationem atq; catholicæ fidei articulos discant: ac fundamenta iaciant principis meliorum litterarum: si forte ad eas aliquis idoneus inuenitur. Singulis ipsarum mulierum quibus expositorum cura creditur: onus iniunctum est singulorum uestes seruandi: earumq; hospitalis curatori & per eum hospitalis præfectis rationem reddendi. His quia parentes nullos agnoscunt: filiorum hospitalis a quo aluntur nomen inditum est: qui cum ad octauum aut decimum ætatis suæ annum peruenerunt: ab hospitali Sancti Celsi ad alias hospitales domos: qui mares sunt transferuntur: ut illarum rectores pro ingenii qualitate: si ad meliora nati non uidebuntur: mechanicis artibus instrui eos curent: atque per hunc modum adultiores facti priusquam hospitalis ope destituantur: adiumentum habeant unde uitæ necessaria comparare possint. Puellæ autem a Sancti Celsi loco abductæ quæ meliori indole sunt in Sanctæ Caterinae hospitali domo locantur. Illic cum adoleuerunt aut in monasterium ut deo inseruiant mittuntur: aut eis si ob formam & ingenium dignæ uidentur: honestiore fortuna nuptiæ cõparantur.





Aliae deterioris formæ atq; indolis sub minori spe in hospitali nouo constituuntur: Vtrobq; per matronas quæ eas curant his artibus instruuntur quæ muliebrem sexum decent: ut inde aut auro aut serico siue lino ac lana operatæ comparent non modo ea quibus in presens tempus exornari ualeant: uerum etiam quibus dotis bona augeantur ac spem siue maritis siue monasteriis faciant quocūq; se contulerint industriã atq; instrumeta ducendæ uitæ secū esse laturas. In hoc postremo hospitali nouo puellis addūtur alia quoq; grandinatu mulieres quas uelinopia uel alia ægritudo dignas facit i quas hospitalis beneficentia exerceat.

Diligentiæ magnitudo qua puerorum puellarumq; de quibus dictum est: mores excolluntur multos inuitat: ut uel ipsi infecundi ex eis filios sibi adoptent uel in seruitia sua eos alant: neminiq; petentium mos geritur: nisi ante constiterit eius modi homines honestæ uitæ esse: nec periculum iminere ut per eos hæc ætas prostituatur. Illud quoq; non omittitur ut de dote his quæ in seruitium & non adoptionem requiruntur cautum sit atq; expeditã rationem habeat qua suo tempore honeste nubant: pueris quoq; qui non adoptabuntur curæ est ut aliqd honesti peculii ab iis qui eos petūt prebeatur: unde exactis melioribus annis adiumenta ducendæ uitæ possint habere.

Quo autem ad hospitale pertinet mos est quorū annis aliquot ex puellis pro ætatis ratione in matrimonium collocare: numerusq; earum deligitur ex ipsius hospitalis fortuna: neq; enim tam multis representari dos potest: cum ægrorum multitudo magna in annonæ charitate plus absumat q̄ anni redditus ferat: id ipsum lucelli quod eiusmodi puellæ parant in manu est illius matronæ quæ hospitalis curam sustinet: hæc uitæ honestate ac prudentia insignis non minus tuendæ illarum pudiciæ: q̄ ut bonis artibus instruuntur operam dat. Itaq; in eam existimationem adducuntur: ut persæpe & primariæ feminæ in urbe: & quæ etiã minori fortuna sunt preclarum sibi ducant uni aut pluribus dotem persoluere. Matrona autem a quibus puellæ reguntur quæ seorsum singulorum lucella obseruat: cum nubendi tempus uenit id ipsum quod congestum est: nisi quantum earum cultus ante absumpsit ut maior dari dos uiro uideatur: integre representat.

His duobus femineis hospitalibus marium commertio. quia ita uitæ honestas exigit interdicuntur: neq; si qua interdum necessitas urget adire eas aliquis nisi concedentibus prefectis permittitur.

De qualitate ministrorum per quos nouem hospitalia curantur.

Ca. xxxij

**V**niuersae de quibus dictum est: hospita-  
les domus id est tam feminis q̄ maribus  
dicatae suum sacerdotem habent: qui  
agentibus in eis sacra ministrat. Item curatorem  
qui uictui necessaria: ut in promptu sint operam  
dat. In quibusdam tamen contingit ut sacerdo-  
tis industria si maior fuerit etiam curatoris per-  
sonam sustineat. clausae omnium fores ianito-  
rem suū q̄ eas obseruet habent: nullusq; in his tā  
marium q̄ mulierum domibus in iussu curato-  
ris admittitur: omnes culinæ: item purgandis pan-  
nis dicatas habent ministras: promus quoq; in  
singulis est: qui penario ac uinariæ cellæ preest:  
& stans horis uictui necessaria representat: om-  
nesq; baiulos suos alunt: qui ab hospitali magno  
panem atq; esculenta: item medicamina omnia  
deferunt: præter quas res si quid extra ordinem  
ægrorum necessitas poposcerit illud curator nō  
ab hospitali magno allatum sed in foro emptū  
adhibet: atq; in singulorum mensium sine scrip-  
tum refert quantū extra ordinem pauperibus  
impensum sit: neq; id admittitur a questore: nisi  
is e præsectorum numero cui illius hospitalis cu-  
ra seorsum credita est: expensa appposito nomi-  
ne suo probauerit.

In omnibus his domibus loci sunt multorū  
capaces: ubi dispositis lectis qui grauiore morbo

non tenentur eodem in loco omnes somno ope-  
ram dant: seorsum ab eo qui grauioribus casu-  
bus affecti sunt ualitudinarium habent ne male  
habentium querelæ ac fastidia ualentiores offen-  
dant: sunt etiam seorsum cubicula ubi honestio-  
ri genere homines extra uilisturbe numerum  
non sine alicuius honoris specie excipiuntur. Sin-  
gulis domibus phisicus medicus ac chirurgus di-  
catus est: qui ex ordine omnes quotidie adit: & si  
grauior necessitas premere uidebitur sæpius fre-  
quentat. pharmaca atq; omnia in medendi usū  
remedia ab hospitali magno tam prompte his  
omnibus patent q̄ illis qui in hospitali magno  
sunt: neq; his tantum medendi ars ac remedia  
gratis exhibentur: uerum aliis etiam si quos in ur-  
be esse morbo atq; inopia pressos parrochiarū  
principes ciues siue sacerdotes testimonio suo: ut  
ante dictum est: ostenderint.

**De recipiendorum ægrorum forma.**

Ca. xxxvi.

**R**ecipiendorum autem ægrorū in ho-  
spitalibus de quibus loquimur hæc ra-  
tio inita est: nam cum ægri alicuius no-  
men scriptum hospitali magno affertur: is e præ-  
sectorū numero qui ex ea urbis porta est in qua



ager agere dicitur: papiro in qua de agra necessitate scriptum est: paucis uerbis phisico hospitalis mandat qui in ea ipsa porta agit: ut agrum inspicat: ac referat quo genere hospitalitatis id est qua in domo excipiendus uideatur. Medicus autem in eo non id solum respicit ut doceat an salus eius opem requirat: uerum etiam ubi locandus uideatur: & si longior agra fore uidebitur: quo in loco salubrius morbo suo coelum agra habiturus uideatur: tunc his inspectis quae sibi uisa esse medicus monet ad eum prefectus qui agrum inspicere iussit: his quae medicus retulit subiungit ex scripto imperium ut in eo loco agra recipiatur in quo dignum esse ut habeatur medicus retulit.

His qui hospitio excipiuntur inopibus atque agris si inopiae magnitudo premit: quotannis interiora lini indumenta: item calciamenta prebentur: praeterea uestes quoque quibus a frigore se tueantur cum dormitorio aut aliis cubiculis egrediendum est. nam in eis ne frigora formidet assiduus ignis ac fenestrae specularibus clausae satis efficiunt.

Haec domus singulis mensibus saepius adiri debent ab iis ex prefectorum numero quorum cura singulae creduntur bis quoque quotannis a toto prefectorum numero diligenter omnium inopum atque agrorum capita recensentur curatoribus ac sacerdotibus praesentibus: ut singularum rerum

ratio exigi possit. Item coram adhibitis medicis quae agra uirtutum cuiusque loci curam gerunt: quibus temporibus si quid perperam factum esse deprehenditur: pro errorum ratione castigatio adhibetur: ubi autem desideranda maioris diligentiae locus non est relictus: illic laudata uirtus ne in posterum quoque laudanda efficere ministri desinant nouos stimulos adigit.

Qua ratione curentur hospitalia annexa extra urbem Mediolanum posita in eius agro

Ca. xxxvii

**N**on solum autem nouem haec de quibus diximus: hospitalia magno apostolica sanctione annexa sunt: uerum alia quoque quae in mediolanensi agro sparsa in ecclesiasticorum manu posita reformationi desideranda locum reliquerant. horum possessiones ac bona hospitalis magni prefecti ad se ut aliorum de quibus diximus: non traxerunt: id enim incommodum nimis inopibus qui in eis alendi erant fore uidebatur. Itaque curatores eis praeficiuntur qui bona curent: & alendorum inopum qui ad eos se conferunt curam sustineant: quotannis quoque ex prefectorum numero deliguntur: qui ad inspicienda coram loca ac rerum administrationem proficiantur: ut in ipsis quoque locis diligentia adhibeatur ne inopes atque agra in eis minus pie atque amanter quam debeant tractentur.

d



De redditibus & impensa hospitalis magni  
& annexorum. Ca. xxxviii.

**D**elata hospitalis magni fundatione  
ac regiminis ipsius forma. Item quo mo-  
do nouem alia ei addita hospitales do-  
mus misericordiae usum erga inopes agrosque re-  
ceperint: quibus in locis omnibus eorum nume-  
rus qui in ipsis alitur plerumque duomilia excedit:  
praeter expositos cum in nutricum manu usque ad  
quartum annum habentur: qui ut dictum est:  
ad mille accedunt: opere precium uisum est sum-  
matim reddituum quoque summam subiungere  
atque ei impensae magnitudine opponere. Ita enim  
clarius inspicietur quanta sit immortalis dei bene-  
ficentia: neque enim alius dici potest nisi ipse qui  
omnia fecit hoc prestare: ut huius impensae mo-  
les longeque redditus ipsi maior: in hac urbe susti-  
neatur. hinc omnium animis adigendi sunt stimu-  
li ut pro uirili sua unus quisque opem a se latam ue-  
lit huic pietatis atque misericordiae subsidio. Nam  
non id solum agitur ut se qui hoc fecerint deo pa-  
tri qui omnium potens omnia creauit: rem gra-  
tam fecisse arbitrentur ac filio eius qui nos sangui-  
ne suo redemit: atque in pauperibus effigiem suam  
nobis reliquit: uerum etiam hac hospitalitatis be-  
neficentia ingentis populi ocio ac tranquillitati con-  
sultur. Sed quid hoc dicimus? Quae enim alia res  
uicinis montibus atque agris populos magis ad

frequentandam urbem inuitat quam huius ad-  
incerta fortunae opis spes ut dictum est: quia in de-  
augentur urbanae opes & imperii fama crescit:  
Pecuniarii igitur prouentus possessionum omnium  
ipsorum hospitalium. item ceterarum rerum  
quae pecuniam hospitali magno pendere so-  
lent: plerumque quotannis septuagies ac insuper  
quater mille item trecentarum quinquaginta  
quinque librarum mediolanensis monetae sum-  
mam comprehendunt.

Item tritici nomine libras decies quaterque mille ac  
praeterea trecentas quinquaginta.

Siliginis quoque ac milu nominibus libras septies  
mille item noningentas atque octuaginta no-

Praeterea in uini rationibus communi estimatōe  
libras quater mille ac quadringentas.

Hinc annuorum reddituum summa plerumque numerum con-  
ficit & longe plus habita ratione precii quo hiem: qua  
haec scripsimus triticum & siligo uenit: alterum  
enim septennis libris quinque altera constitit: his  
redditibus sequentium rerum onus incombere

In expositos pedunt dum penes nutrices alunt ceterum  
quotannis librae decies ac quinquies mille.

Tritico in alimenta totius anni librae decies ac qua-  
ter mille.

Siligini ac milio nouies mille atque octingentae librae  
Vino undecies mille.



Carnibus quinquies mille.  
Lignis alēdo necessariis usibus igni quater mille.  
Esculentis extra carniū usum quater mille ac  
quingentæ.  
Item telæ ac linario operi ter mille.  
Annuerfariis in defunctorum expiationem die  
bus præterea legatis ac eiusmodi oneribus  
omniū hospitaliū nomine septies mille ac du  
centæ. item quinquaginta nouem.  
Item eorum salariis qui mercede conducti operā  
suam hospitalariæ rei dant quinquies mille  
ac ducentæ.  
Apothecæ medicinalium similiumq; rerum quin  
quies mille: calciamentis octingentæ.  
Peliciario operi ducentæ.  
Extra ordinem in magno atq; aliis hospitalibus  
in pauperum usus singulis mensibus ac præte  
rea funeribus quater mille.  
Elemosinæ nomine principū decreto aut p̄fecto  
rū ordinatiōe septingentæ quadragintaq;  
Reparandis rebus quotānis. item melioribus red  
dendis possessionibus duodecies mille.  
Præterea incerta quædā summa est eorum noie  
quæ improbi debitores auferūt. aut iis remittit  
qui digni: quibus remissio fiat inueniuntur.  
De aliis piis societatibus ad leuāda inopiæ  
mala in urbe Mediolano. Ca. xxxviii.

**H**æc igitur accepti expensiq; summa  
facile ostendit longe plus q̄ acceptum  
sit pauperum usibus impendi: & tamē  
ope sua immortalis deus hospitalitatem non de  
serit ut clarius doceat quanto opere ei a mediola  
nensi populo debeat: cui in sustentanda pau  
perum ægestate non contentus magni ac nouē  
annorum hospitalium opem cōparasse: alia  
quoq; & numero & opibus minime contem  
nenda loca erexit: ut non illis tantum misericor  
diæ subsidia pateant: quibus afflictæ prorsus for  
tuna nullum nisi in hospitalitate præsidium reli  
quit: uerum alii quoq; quibus licet domus sit ne  
cessaria: tamen ad ducendam uitam desunt: in  
ueniant qui intra tecta sua manentes misericor  
dia ac beneficentia complectantur. In hos igitur  
usus erecta loca eo ordine quo numerabuntur  
ingentem pecuniam toto anno pauperibus erro  
gant: & a mediolanensibus ciuibus administran  
tur.

De misericordia Ca. xxxix.

**S**ub misericordiæ titulo præcipuus est  
locus. hic in singulis urbis portis descri  
pta inopum nomina singulis mensibus  
recenset: præsertim eorum quos amisse prioris  
fortunæ pudor a mendicitate deterret. Item in  
spicit si quæ puerperæ sunt quæ unde se ac ferum

d. iii



alant non habent. His quotiens casus cōtingit nul-  
la temporis seruata ratione opem fert: at alius qui  
descripti sunt singulis ebdomadibus panem ui-  
num ac farinam prebet: copiosiusq; ac pluribus in  
dominico natali atq; resurrectione: addita insup  
carne ac lignis. Extra ordinem quoq; si quis uel in  
cēdio absūptis fortunis aut carceri addictus opē  
petat: pecunia ei ab hoc loco exhibet. In hos usus  
haud minus uiginti librarum milibus quotannis  
impenditur.

De Quatuor maris Ca. xxxxi.

**P**Auciora quidem sed nō multo in simi-  
lem usum alio ordine alius erogat lo-  
cus cui quatuor Mariarum nomen est  
inditum: sed casei uim ingentem in dominica re-  
surrectione addit.

De Charitate. Ca. xxxxii.

**P**rem rationem sequitur recentior qui-  
dem tēpore sed nequaq; inferior aut opi-  
bus aut ciuium insignium administratio  
ne locus: cui charitatis est nuncupatio: cuius in hoc  
genere mira diligentia est: siue in exhibendis pro-  
pitudo: siue in querendis inopibus diligentia con-  
sideretur. Nam & sacerdotes uicatim per urbē  
mittit qui agris ad animorum salutem necessaria  
solamina exhibeant: & pro necessitate pecuniam  
quoq; irrogari faciant.

De pietate Ca. xxxxiii.

**D**ditur his quod pietatis nomen obtine-  
a hospitale a secularibus non sine ecclesia  
sticis uiris administratum. huius præfekt  
non contenti pro uirili sua egestati opem ferre: &  
nubilibus puellis: quæ inopes sunt ornamenta pa-  
rare: domi quoq; erga senio aut aliis morbis cō-  
fectos hospitalitatem exercent.

De Diuinitate. Ca. xxxxiiii.

**C**cedit pusillus quidem haftenus. sed  
a bonorum ciuium cōsensu nequaq; post-  
ponendus diuinitatis locus: cuius diligen-  
tia in pauciorum dispensatione opulētis minime  
cedit.

De hospitali sancti Iacobi. Ca. xxxxy.

**D**em agit eorum p̄fectura qui sub san-  
i cti Iacobi titulo non urbanos tātum pau-  
peres ad certum numerum domi alūt:  
uerum etiam peregrinos excipiunt ac triduo om-  
ni comitate prosequuntur

De hospitali sanctorum Petri & Pauli

Ca. xxxxvi.

**S**t item alius sub sanctorum Petri ac  
Pauli noie locus extra romanā portā p  
quē eiusdem pene hospitalitatis munus  
exerceat: cui aliq̄ iniūctū ē onus Bernabouis uicaco-  
mitis d̄ quo supius dictū ē decreto: huic eni relictis

d. iiii

prediis iniunxit ut quotannis panni septingenta  
brachia ad tegendam inopum nuditatem dispō  
set: & ad mille ducētaq; brachia in eundē usum  
hospitale sancti Iacobi pauperibus diuidat: ho  
spitale quoq; brolii nuncupatum decem ac nouē  
nubilbus puellis totidem nuptiales uestes eiusdē  
principis decreto conficit.

**C** De conceptione Ca. xxxvii.  
Conceptionisq; societas subsidia inopiæ  
suggerit.

**V** De pignotela. Ca. xxxviii.  
Eius etiam ritu dicatus est panis pau  
peribus quotidie distribuendo locus in  
uercellina porta panis cognomento in  
signis.

**P** De humilitate Ca. xxxviiii.  
Anem quoq; statis diebus erogat ege  
nis ea societas quæ a Vitaliano Borro  
meo sub humilitatis titulo incoata auo  
rum nostrorum tempore magnum incrementū  
fecit.

**D** De dominica corona. Ca. xxxix.  
Nita etiā proxime est societas quæ do  
minicæ coronæ titulum sibi desumpsit.  
Ab hac in agrorum inopum subsidii  
um singulis portis conducti sunt medici: gratisq;  
etiā medicamina: aliaq; pellerdis morbis necessa  
ria si egestatis fides allata fuerit benigne p̄bētur.

De sancti Iosephi societate Ca. xxxviii.

**Q** Vin etiam nuper Columbano uiro insi  
gni minorum ordine sacris concioni  
bus suis populum monente: Ioseph uir  
ginis dei genitricis uir in mortalium animis ardo  
rem sub eius nomine societatis ineundæ incendit.  
Hæc quantum qui in ea sunt de suo erogando  
ab aliisq; poscendo congerere possunt: stato an  
ni tempore panem uinūq; pauperibus distribuit.

De sancta Caterina Ca. xxxviii.

**S** In sancti quoq; Nazarii æde sacellū  
Caterinæ uirgini dicatum: sub eius no  
mine ciuium societas creata est: cuius in  
id maxime intenta sunt studia ut puellis quibus  
aliunde ob inopiam matrimonii spes nulla est:  
honestas cōubii conditiones comparet: qui  
bus in hos usus non leuis summæ bona ad hoc tē  
pus relicta in dies magno opere augentur.

De abatia sancti Ambrosii. Ca. xxxviii.

**E** Vnt etiam alia loca erogandis elemosi  
nis dicata ut urbanæ plebis inopia suble  
uetur. in quibus minime pretereunda est  
sancti Ambrosii abatia cuius reformandæ au  
ctor Ascanius Sfortia illud s̄xit ut inopibus om  
nibus q̄ illuc iuerint quotidie atq; ebdomadibus  
singulis mendicantibus religiosis omnibus qui in  
urbe sunt panis uinūq; belemosina erogaetur: &

d v

item statis diebus pecunia ad certum numerum  
egenis secularibus prebeatur in sex menses: neq;  
ultra perseueretur: ut ab eis ad alios trās lata hæc  
helemosina ambrosianæ beneficentiæ auxiliū ad  
plures perueniat. præterea quotannis feria quin/  
ta qua Ambrosii solemnia peraguntur post do/  
minicæ resurrectionis diem: quatuor puellis qui/  
bus res angusta quidem sed mores ac uita proba/  
ta sit cum dote uiri spectante populo comparan/  
tur: & in dominico natali sex uiris inopibus hone/  
stæ conditionis indumenta interiora exterioraq;  
cum calciamenti pileoq; ac insuper cultello item  
solle cum pecunia ab abate ut biduū uiuere pos/  
sint prebentur.

#### De nexorum subsidio.

**N**Exis quoq; proter æs alienum idest qui  
in uinculis sunt: Bernabouis beneficentiæ  
tribui panē a broliū & Antoniana æde  
datis prædiis instituit: quorū hominū miseræ con/  
ditioni: quid enim infelicius q̄ in uinculis uitam  
agere? hoc quoq; die munere subsidium medio/  
lani paratum est: ut quinq; ecclesiastici uiri totidē  
e iureconsultorum collegio: & causidicorum par/  
numerus: qui quotannis deliguntur: patrocinia eo/  
rum suscipiant: capturæ causas intelligant & eorū

nulli iniuriam fieri patiantur.

#### De liberalium disciplinarum professoribus.

Ca. xxxv.

**N**E etiam alendorum ad doctrinæ stu/  
dia ingeniorum cura pretermitteretur:  
ætate nostra præter eos qui publico sti/  
pendio conducuntur: tribus in locis professoribus  
quaternis liberalium artiū merces a piis locis ad/  
erudiendam gratis plebem tribuitur: inter quos  
duo sunt qui græcas litteras & mathematicas ar/  
tes edocent. nam cæteri sub liberalium artium no/  
mine præter grammaticen ac poetarum enarra/  
tionem ex eis plerunq; nihil attingunt. Hic fortas/  
se aliqui expectabunt ut mentionem faciamus fa/  
bricæ mediolanensis ecclesiæ. si quidem ab ea in/  
pios usus errogari quotannis supra uicena quater/  
naq; librarum milia dici potest: quarum pars ad  
liberalium artium professores attinet. Sed nos eā  
in aliud tempus omittendam duximus: quando  
quidem hic eas tantum attingimus præfecturas  
quæ pauperibus opem ferunt: & nō illas quæ uel  
sacras uel publicas ædificationes tangunt.

Hæc igitur atq; alia loca, ut diuitum scola in  
sancti iohannis supra murum parrochia, ut medio/  
lanensis communitas, ut monachi sancti Benedi/  
cti atq; montis oliueti qui statis temporibus in ut/  
ctum inopum bona erogant quæ omnia longū





esset enarrare: inopia mediolanensium deus subsidia parauit.

De sanitate ubi pestilentes excipiuntur.

Ca. xxxxyi.

Ed ne eius beneficentia sibi ullum genus hominum expers maneret: temporibus nostris nouam etiam opem inuenit unius morbi aegritudine laborantibus: qui a locorum de quibus mentio facta est ope disiunguntur: neque enim sine publico malo pestilentes aliis bene habentibus commisceri possunt: apud hostum precipua medendi ratio in eo uersari uideatur: ut domibus suis erruti seorsum locis maxime patetibus contineant: & propterea haecenus longe ab urbe ad duo passuum milia ad sancti Gregorii ac caesae nonae hospitalis magni possessiones mitterentur: id quod agris ualde aduersum habebatur: non modo propter locorum longitudinem: uerum etiam quia stramentis & fronde confectis umbraculis plerumque humi iacebant: excitauit dominus ac deus noster ciuium animos Ludouico Sfortia Mediolani rem nepotis administrante: ut pestilentibus quoque commodiorum comparari locum cuperent. Itaque a Ludouico re suscepta atque in eam magna collata pecunia ad orientalem urbis partem e

regione abbatiae sancti Dionysii extra urbem in exterioribus ulterioris fossae labris aedificio iacta sunt fundamenta recipiendis pestilentibus sub sanctae Mariae sanitate dantis titulo quadrangulari spatium: specie ac comoditate admiranda: illic enim miliaris pene portibus circumseptis interioribus cubicula exterius ingenti fossa clauduntur omnibusque cubiculis ad leuandos uentres defossi muri agrorum sordes sine ullo fetore in circumiectas aedificio aquas deferunt. Inceptus Ludouici auspicio atque ope locus uehementer Ascanii eius fratris opera auctus est: cui ciuium quoque adiumenta non defuerunt. Ceterum anno septimo post mille quingentosque a uirginis partu uehementer aedificationem auxit Ludouicus. xii. gallorum rex: qui eo anno Mediolano cum plures dies moratus ut pote qui Mediolanensis ducatus titulum ac rem obtinebat cum locum illum inspicere uoluisset ei tria aureorum nummum milia dono dedit ac maioris etiam summae ad perficiendum opus spem fecit. Huius condendi loci onus hospitali magno tributum est: ut quod in aedificationem ei confertur id perfecti hospitalis ne temere impendatur diligenter curent. Haec quadrilatera forma qua eius media pars est: templi speciem habitura est: atque inde in quatuor diuidetur partes ut ab omnibus ipsius loci partibus sacrificantes sacerdotes sicut in hospi-



talibus magni ualitudinario conspici possint. Illic uinariae cellae: illic panis atque esculentorum atque in primis medicinalium rerum receptacula erunt: quae ita disponentur ut ab singulis partibus tute ministri eo ire necessarium rerum gratia ualeant: & tamen qui male habebat bene habentibus commiseri non poterunt.

De pietatis Monte. Ca. xxxxxvii.

**E**ritis non fuit haec ad leuanda agrorum mala Mediolanensi populo prestari: aliud etiam diuina bonitas addendum duxit. nam biennio antequam quingentesimus post mille a partu uirginis incoaretur annus immortalis deus Ludouico Sfortiae qui iam ducatus titulum atque insignia sumpserat: atque ciuibus ipsis hanc mentem infudit ut uni quoque egenorum generi prospicerent quod quanquam in extremo miseriae gradu constitutum non sit: plerumque tamen grauiora perfert. cum prioris fortunae recordatio pudendam mendicitatem faciat: quae res per sepe causa est ut foenus subeat: atque ei uestes ac paruam illam: quae superest: suppellectile obliget. Quae omnia foenus uorax breui absorbit. Itaque cum diligenter ciues hanc rem tractassent: & apud Ludouicum uersaretur Dominicus pontifex qui unus in ordine Sancti Francisci regula rem obseruantiam profitentium concionibus su-

is magno opere populum ad haec inspicienda cohortabatur: erectus est mons sub pietatis nomine congesta a principe ac populo pecunia: qua pignoris acceptis egenis usque ad duodecim libras sine aliquo foenore subueniret: adhibita diligenti ratione ne cui nisi misericordia digno haec subsidia prestarentur: peracto autem anno si pignorum domini exacti non sufficerent: institutum est: ut pignora subhastentur: acceptaque diuenditis rebus pecunia: mutui summa monti restituitur: & quod ultra superest summa fide pignoris domino representatur.

Ne correctio pretereatur si quid interdum euerit in ordinibus contigerit.

Ca. xxxxxviii.

**C**eterum ut ad hospitale magnum unde narratae latius diuinae misericordiae gratia diuertimus: iam reuertamur: nihil quod illud contingat pro uirili nostra omittere cupimus. Itaque quoniam interdum uariis casibus euenit ut eius administrationis pars aliqua quae necessaria sit negligatur: eorum qui in administratione succedunt succurrere diligentia & debet & solet: ita hoc anno contigit qui post mille ac quingentos a uirginis partu octauus est. Nam cum in scribarum decuria, in helemosinis quae sub

nomine amoris dei lactandis pauperum filiis p̄-  
bentur. in anniuersariorum officiorum ad expiā  
das defunctorum animas executione. in referen-  
dis inspiciendisq; ministrorum rationibus. in exi-  
genda & persoluēda quæ debetur pecunia: quæ  
dam p̄peram aut negligēter fierent. & item pro-  
uidendum esset ut quæ in tuenda indulgentiarū  
gratia impenduntur: quæ cum mediolanensis ec-  
clesiæ fabrica communis est: cōiter etiam subeā-  
tur: nouis decretis superiorum negligentia occur-  
sum est: q̄d hic monendum duximus: ut cum fie-  
ri non possit quin interdum aliquid siue per negli-  
gentiam: siue etiam quia ita tempora ferant: præ-  
ter rectam hospitalis normam geratur: memine-  
rint qui sequuntur nunq̄ omittendum esse quin  
totis uiribus agatur: ut cum fieri potest admini-  
stratio hospitalis etiam si quādo mutationem ac-  
cipit: ad pristinam tamen formam atq; sinceri-  
tatem restituatur. neq; enim minor laus est sa-  
pienter atq; utiliter facta tueri: aut cum in dete-  
rius dilapsa sunt in pristinā rectā formā redigere  
quā ea a principio inuenire ac bene constituere.

Cum in præfectura hospitalis actum fuit ut  
conscribendæ fundationis eius negotium suscipe-  
retur: in ea sedebant delecti ex orientali ac ton-  
sa portis quæ in ordinibus urbis locum primum  
obtinent.

**Rodulfus Vincemala abas unus ex prioris anni  
præfectis suffragio confirmatus.**

**Lucas landrianus apostolicus prothonotarius.**

**Bernardinus Vegius.**

**Ex romana porta.**

**Benedictus Caimus unus ex prioris anni præfe-  
ctis suffragio confirmatus.**

**Benedictus Triuultius.**

**Antonius Brugora.**

**Ex Ticinensi porta.**

**Thomas Brasca unus ex prioris anni præfectis  
suffragio confirmatus.**

**Gabriel Tranquerius.**

**Polydorus Comes.**

**Ex uercellina porta.**

**Lancellotus borromeus comes unus ex prioris an-  
ni præfectis suffragio confirmatus.**

**Lancellotus regna questor.**

**Ioannes iacobus Giltinus qui eo tempore priora-  
tum gerebat**

**Ex Comensi porta.**

**Gabriel Talentus apostolicus prothonotarius  
unus ex prioris anni præfectis suffragio confir-  
matus.**

**Conradinus Vicecomercatus**

**Andreas lampugnanus**

**Ex noua porta.**

Franciscus Symoneta unus ex prioris annis praefectus suffragio confirmatus.

Principialis Vicecomes.

Ioannes Iacobus Cribellus

Ioannes Iacobus Barzia regius locum tenens.

Ab iis quorum nomina superius scripta sunt actum fuit ut foundationis opus ederetur & sub eis confectum fuit. Sed cum ederetur iam Kal. maiæ appetierant: & functis munere suo duodecim ex iis qui nominati sunt: in eorum locum successerunt ii quorum nomina sequuntur.

Ex orientali porta.

Ioannes antonius burfanus uir sacerdotii honore insignis.

Stephanus Archintus.

Ex romana porta

Bernardinus Vallésis qui editionis tempore prioratum gerebat.

Nicolaus Gerentianus.

Ex Ticinensi porta

Aloisius Varesinus.

Ioannes Iacobus puteobonellus questor.

Ex uercellina porta

Marcus antonius Dugnanus

Guido antonius Cusanus

Ex Comensi porta

Hieronymus Figinus sacerdotio ornatus.

Marcus Calcaterra

Ex Noua porta

Gaspar Vicomercatus

Petrus paulus a castro sancti Petri

Ioannes Iacobus Barzia idem qui ante regis personam sustinebat.

Foundationis hospitalis magni Mediolani. ite reformationis nouem aliorum xenodochiorum ei annexorum: aliorum quoque celestis misericordiae ad mediolanensis inopiae atque aegritudinum subleuationem opus Reuerent. atque magnificorum ipsius magni hospitalis praefectorum impensa anno a uirginis partu. M. D. VIII. die quarto nouembris. Iacobus Ferrarius Mediolani impressit Ludouico duodecimo cis atque trans alpes regnante: concessio eius indulgentia diplomate ne intra decemium hoc opus ab aliis hic imprimi: aut alibi impressum intra regios fines inferri possit: iniuncta decem aureorum pena in singula uolumina si quis decretum uiolasse inuentus fuerit.



*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some words like "Fundationis" and "monachi" are faintly visible.]*

In agnoscenda impressione inuenta sunt uerba  
deesse inferius notata in capitibus quæ citata sunt  
In capite xxxxxiiii. de nexorum subsidio in or  
dinibus taxandis ex quibus prefecti deliguntur de  
sunt hæc uerba post particulam: & causidicorum  
par numerus. Item ex aliorum ciuium numero  
quinque uiri.

Item in capite . xxxxxv . de liberalium discipli  
narum professoribus post particulam ut monachi  
sancti Benedicti atq; montis oliueti sequi debent  
hæc uerba. Item caræ uallis: ac duarum Cartusia  
rum: præterea ciuium societates sub sancti Rochi  
titulo pluribus in locis per urbem. sancti Vgurois  
in æde Victoris in uico cui diptoides nomen dede  
runt. præterea in Eustorgiano uirginis ac trium  
magorum. & in sancti Simpliciani abatia uirgi  
nis quoq;. In Laurenti æde etiam sancti Aquilini.  
Item in æde sancti Saturni: & præterea in alia sancti  
Ioannis Itolani uirginis societates: quibus ad dam  
natos morti sepeliendos alia additur sub sancti lo  
annis nomine ad dirutas domos: & Columbæ  
prioratus ad efferenda mortuorum ciuium corpo  
ra. Ad Babilæ quoq; fanum a Mathea Fideli cõ  
stituta farina benigna erogatio. & in Dionysia  
na abatia larga in inopes helemosina. quorum  
agmen cathedralis ecclesia ceu communis medio  
lanensium ciuium parensin huius beneficentiæ ho  
nore claudit. omnes enim

e







UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA

GREDOS.USAL.ES